

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italianam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam m. $0,25 \times 0,45$ Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCXLVI peractam, *ad libitum* sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. $0,63 \times 0,85$ in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Martis MDCCCCVIII Num. III.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80
ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

apud
Gebethner et Wolf

IN ANGLIA

apud
"Kronika Rodzinna,"

IN CANADA

apud
Burns and Oates Librairie Granger Frères

Varsaviae Polonorum
Rakiewskie Przedmiescie, 15.

Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmiescie, 6.

London W.
28, Orchard Street. Montreal
1689, Rue Notre-Dame.



CONSTANTINI PISONI

Pontifícia officina Candelarum ad Sacra

in artium recensione Taurinensi an. MDCCCVIII

inter Italicas prima iudicata

pluribusque praemis aureis, argenteis, scriptisque honoris testificationibus aucta

ROMAE in ITALIA

Corsio Vittorio Emanuele, 127-129 — Via Sediari, 1-2-3

Huiusmodi officinae, conditae inde ab an. MDCCCVIII, haec peculiaria propria sunt:

Candelae ex cera, iuxta praescriptiones liturgicas a S. Rituum Congregatione recognitae atque adprobatae.

Candelae rigidissimae, calidioribus caelis resistentes ab officina Pisoni *unice* comparatae.

Candelae ad sacra atque ad illuminandum, quarum explorata sunt tum integra exustio, tum omnis et colatura et fumi defectus.

Candelae exquisitis ornamentis decorae sive Cereorum Paschalium sive donorum ad usum.

Cera capsulis conclusa ad supelleciles et pavimenta dilucidanda.

Faculae ad noctem iure proprietatis circa fabricationem protectae, decem horas et ultra ardentes. Unicae hae sunt, quae continuo ac splendido fulgore comburantur, ita ut singuli vix eas experti, in posterum solummodo adhibuerint. — Mittuntur involucris 12-25-50 cereas faculas continentibus.

Commercium epistolare omnibus linguis habetur.

Res ad orbem universum exportatur.

Divisorium Magnum, cui a Minerva nomen
(*Grand Hôtel de la Minerve*)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Divisorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum — Tercenta cubicula et magnae aulae — Calefactio — Balnea — Electrica lux ubique — Machinae duo ad ascendendum — Hiemale viridarium — Ludi tridiculares — Aulae mulieribus reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulcarum armatum specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatum possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii
in an. MDCCCVIII
videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Martii MDCCCVIII.

Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Lusitaniae rex eiusque filius nefarie interempti.

De Eugubina quadam parietali pictura circa translationem al-
mae Domus Lauretanæ.

Ad cunas Ioannis Chrysostomi vaticinium.

Vox Urbis palaestra. — De colenda lingua latina.

Ex Americis. — De novis rei sacrae propagandæ conatis.

Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia
Papao X litteræ encycliae de modernistarum doctrinis: Moderni-
stæ et cultus sacrorum — De librorum sacrorum natura et origine
apud modernistas — Quænam modernistarum schola de Ecclesia ima-
ginatur.

Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electio-

nes. — Vita funeti viri clariores. — Varia.

Annales. — Olyssiponense crimen. — Mauritana res. — Balcanicae nubes.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Librorum recensio. — Vindiciae religionis.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

In *tertia operculi pagina*: TARCISTUS — Actio dramatica L. B. FRANCESIA
versibus senariis conscripta.

LUSITANIAE REX EIUSQUE FILIUS NEFARIE INTEREMPTI

Horruit universus orbis, quum Lusitaniae regem
eiusque filium natu maiorem suis ipsis a subditis
d. I elapsi mensis Februarii enecatos nefarie audivit.



Anarchistæ aut amentis cuiusdam pessimis doctrinis
obcaecati crimen non fuit; sed civilis odii potius
fructus, coniurationis atque seditionis clam initiae
pessimum consilium. Hoc enim facinus perditissimi
viri in cauponis suis occulte atque impie constitue-
runt, ut regem eiusque familiam omnem infanda
audacia prostrarent. Haec iam tute arguimus satis

nostro huic aevo minime convenientia, quum tantus
ubique provehendae humanitatis ardor est ac fervor.
Olyssiponenses enim reipublicæ fautores, latino se-
mine orti et libertate publica fruentes passim, ho-
diernas de regicidio doctrinas non aliter hauserunt,
ut tantam caedem moliri et perficere non dubita-
verint, quam barbaro ex more sua consilia exse-

quendi et cruento regis sacrandi. Gallica enim e seditione si tetrica haec plane exempla imitati esse dixerint, quamquam ferocissima et inhumana fuere, Ludovici regis sicarios meminerint quadam legis sub specie crimen oculisse suum, regemque capite damnatum carnifici tradiderunt. Huius vero Caroli I sacrificies ut latrones pessimi eum media in via filiumque eius enecarunt. Cum regicidis potius similitudo intercessit qui, Serborum in regno, medio in somno regem uxoremque eius ferro et igne percutere non dubitarunt. Itaque Bellogradi ab urbe Tagi ad fluminis ripas una eademque cruentis culpa. Eam consulum insipientiae adscribere nonnulli malunt, quae sicariorum manus ad crimen compulerit; nihil tamen crimen excusat ipsum, quo iamdiu nihil ferocius historia suis in regestis descripsit. Ad Europae occidentalis fines uxor et mater nobilissima est, deflens innocentes suos morte horrenda mulctatos; est populus futurum tempus innocentis sanguine signatum videns; haec historia scribit.



Emmanuel II, novus Lusitaniae rex.

Carolus Lusitanorum atque Algarbiorum rex Olyssipone anno M DCCC LXIII a Ludovico rege et a Maria Pia Sabaudica e domo regina editus est in lucem. Thronum patris anno M DCCC LXXXIX ascendit. Corpore procerus, pinguis, fortissimus, flavo capillo, Italiae regi Victorio Emanueli II prope similis videbatur, cuius nepos erat.

Intellectu alacris, moribus simplex, indele benigna, consilio autem constantissimo, iuvenis admodum sapientia senex evaserat. Sermones varios callebat, liberaliumque artium erat studiosissimus, quas inter picturam praesertim coluit et non sine laude exeruit. Doctrinae vero inter disciplinas, marinos quae spectant thesauros et oceani arcana investigare gaudebat. Plantarum igitur atque animantium quae imo in mari vivunt species colligebat, quorum nuperime Mediolani universarum artium in recensione specimen multa eaque elegantissima obtulit. Gymnicis item ludis vacavit, ac passim gladiatorio, equis regendis, nautis dirigendis; venatione et manuballista et sagittis expertissimus, decretum erat ut huiusmodi armis per sicariorum manus caderet!

Figuras, quae hoc scriptum exornant, nobis obtulit cl. v. Henricus Filiziani, cui gratias habemus.

De Eugubina quadam parietali pictura circa translationem almae Domus Lauretanae

Adversus ea, quae vir doctrina sacra pariter atque historica clarus M. Faloci-Pulignani de veteri quadam parietali pictura in claustro Eugubini monasterii Francisco Asisiensi sacri reperta scripsit (1), Victorius Pagliari Eugubinus libellum mox Romae edidit, in quo allegoriam illius tabulae demonstrare condidit (2).

Picturae imago quae sit habent lectores in oculis; quamvis temporum iniuriae late eam deleverint, ma-

nent tamen, quae pictoris mentem declarare sint satis. Medio enim in muro Virgo Deipara radiis et splendoribus circumdata eminet; dextrorum angeli domum seu templum aut aediculam Virginis ad nutum per aerem deferunt; subest civitas ampla, atque in monte turrita; ima vero in valle grex retibus praecinctus patet atque pastoris pedes reliqui sunt advigilantis; virides rami montem circa superque vigent passim et florescent. Alia sinistrorum eminet in summo monte munita urbis pars; mons arboribus vestitus appetet, et ad montis radices iidem angeli deponunt, Virgine indigitante ab alto, aediculam in terra; supra denique et circum precantes advolant.

Vallis herbis et arboribus fertilis est, atque, prope templum, agricolae casa appetet, qui arboris sedens sub umbra vini dolio ad os ambabus admovet ulnis ut bibat. Proximo autem ex arbore pera dependet atque securis eius, casae vero ex tecto pecudum pelles acervatae aut suspensae exsiccantur.

Haec picturae facies est indubia quidem atque demiranti cuique aperta satis. Huius ex elementis non sine multa ingenii subtilitate Falocius arguere sese posse credidit Lauretanae domus translationem pictura illa esse effectam; Pagliari contra templum «Portiunculae» id putat esse caelitus demissum et Asisinati in agro collocatum. Aedem enim Portiunculae nomine distinctam omni semper aetate Franciscalis totius Ordinis veluti symbolus atque imago habita est.

(1) Cfr. an. X n. XII.

(2) VITTORIO PAGLIARI. — *Allegoria dell'affresco Eugubino dipinto nel Chiostro dei Minori Conventuali.* (Romae edid. Franciscus Ferrari, Piazza Capranica, 102. — Ven. lib. 1).

Ut enim cetera omittamus, relata haec ab auctore S. Bonaventurae verba satis superque id evincunt. «Hunc locum — scribit quidem S. Doctor — vir Sanctus (Franciscus) amavit prae ceteris mundi locis: hic enim coepit, hoc virtuose profecit, hoc feliciter consummavit: hunc in morte fratibus tamquam Virgini carissimum commendavit... hic est locus in quo fratrum minorum ordo a S. Francisco per divinae revelationis instinctum inchoatus est. Divinae tamquam Providentiae nutu, qua Christi Servus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit ecclesias antequam ordinem inchoans evangelium praedicaret, ut non solum a sensibilibus ad insensibilia, a minoribus ad maiora ordinatu progressu concenderet; verum etiam ut quid esset facturus in posterum foris opere ministerialiter praesignaret. Nam instar reparatae triplicis fabricae, ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam Christi triformiter renovanda erat Ecclesia: trinae triumphatura militia salvandorum sicut nunc cernimus esse completum».

Quisquis voluerit igitur divinum hoc effingere coloribus consilium, nil potuisset melius quam Portiunculam illam aediculam effingere descendantem de caelo a Deo. Summa profecto angelica pompa defertur aedes e caelis, siquidem Franciscalium ordinum constitutio summi momenti pro Ecclesiae bono tunc erat. Prophetica signa id etiam significant circum, palmarumque trifidi racemi tres seraphicos ordines demonstrant passim. Palmam enim in somniis vidit Innocentius PP. III florescentem late, eamque sensit esse Francisci consilium iuxta illud: «Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur, plantatus in domo Domini, in atrii domus Dei nostri».

Hanc iuxta mentem sparsim in humo alblicant mortuorum ossa, nempe minoritarum sacrae reliquiae, quae silvam ordinis densam germinant iuxta illud Isaiae: «Ossa vestra quasi herba germinabunt» (LXVI, 14) aut Ecclesiastis illud: «Ossa eorum pullulent de loco suo» (XLIX, 12). Deest quidem, atque iniuria temporum deleta, ex tabula Francisci imago, pedes autem eius veste indutos adhuc recognoscere licet. Ille enim diu ac saepe in vallem Angelorum Asisii e colle descendens orabat; «sentiens autem — Bonaventura scribit — iuxta nomen ipsius Ecclesiae quo ab antiquo Sancta Maria de Angelis vocabatur, angelicarum ibi visitationum frequentiam, pedem fixit ibidem» (*Aurea legenda*, cap. II, fol. X, p. 2).

Haec quae Pagliarius disseruit variis profecto cum partibus picturae concordant optime; quamobrem improbabilia videntur nemini. Sed — ut bene ille adnotat — Lauretanae domus translatio, quamvis ibi depicta fuisset, nec locus ille nec modus eius pingendae erat. Sedet enim pictura primo sub atrii arcu dextrorum, primo nimurum porticus in loco, cuius

per atria reliqua Francisci vita effingebatur. Naturale erat igitur non Lauretanae domus translationem, sed Minorum ordinis origines primas ibi potius effingi, quae Portiuncula ab aedicula initiae sunt.

Symbolus igitur — auctori si credamus — Minorum ordinis aedicula S. Mariae est, in caelo fabrefactae, et angelico ministerio, ac Deipara sine labe ibiente, deductae in terram.

Haec retulimus non ut contra Lauretanae domus traditionem et prodigia scriberemus, sed ut notum lectoribus esset, quidquid in utramque partem de celeberrima pictura viri antiquitatis doctrina periussimi sentiant atque interpretentur.

AD CUNAS IOANNIS CHRYSOSTOMI VATICINUM

*Descende caelo.... Te voco, Spiritus,
Qui nos clientes numine recreas;
Herois in laudem volutis
Da numeris sine labe plectrum.*

*Gaudet beata sub vice gloriae
Stringi decoris tempora laureis,
Post bella, spe certi, repulsa
Almus ovat, rutilatque victor.*

*Huius triumphi, quem tulit inclitus
Chrysostomus, post saecula quindecim
late sonantis convocamur
Vaticinas celebrare cunas.*

*Aeterni amoris cuspide, quo suam
Sponsam creavit complicitus cruce,
Sculpsit Redemptor multiformi
Luce novum, docilemque alnum.*

*Linguam et cor auro fingier artifex
Flammante duxit; mox ope gratiae
Excoctus igni, charitatis
E gremio salit en! Ioannes.*

*Cunas soporat creditus angelus,
Anthusa, nato; quem fovet in sinu et
Defendit, ut concha infus undas
Perspicuum tenet unca gemmam.*

*Dios amores ore cor indicat,
Stillans sacro flos melle, puelluli;
Mirum stupentes aureo igne
Clara ferit radiansque lingua.*

*Iudee quod olim gens pia fuderat
Radici Abiae: Quis Puer iste erit?
Syri Ioanni dulce Carmen
Per patrias modulantur oras.*

*Audire, plenos omine, Caelitum
Cunas beantum jam videor choros:
Quae fata depromunt, poësis
Ingeminet, memoresque fasti.
O germen alnum, quod modo suavia
Labbris Orontis suscipis oscula!
Te pulchriorem auris viretum
Non dabit Antiochense florem.
Fervens anhelo spiritu ad aethera
Se mittet, una thuris aromate
Flammis adusti; insignis ore
Angelico trahet ipse cives.
Sic: sacri amoris vis rapiet cito
Insonis Ioannis pectus. Inaniter
Aestus profani finge technas
Vinnula et illecebras, o siren.
Istum venustas graia, Libanio,
Pascat, magistro: doctus et enitens
Decus loquela, melleam artem,
Haud Rhodio colet impar. Alta
Dei placebunt dogmata, quae ebibet
Flagrans periti ex ore Meletii;
Sublime nomen comparabunt
Ingenii fideique coepia.
Quam celsa promet mentis acumine
Os caelo adactum! dignus Apostoli
Pauli aemulator christianam
Protrahet auriloquens salutem.
Zelo loquentis, vorticis aurei
Ut rapta spiris, corda fidelium
Absorpta, pacis concupitam
Perpetuae subitura abyssum.
Aris sacerdos grata piamina
Imponit, hymni blandisono melos
Demulsa: cleri norma factus
Innocuos generat ministros.
Actum Ioannis cor Sapientia
In tate crassas irruet haereses,
Beonis instar rugientis
Multifidis peredetque flammis.
Novere Patrem corda, charismatum
Flecti in bravium cerea; sed gravi
Cadent ruina elata cedri
Culmina, suffidente Patre.
Chrysostomo fel flumineo calix
Haustu propinet, iam crucis aspera
Vexent medullas, iam ferinae
In caput effugiant sagittae....
Quid tortus aestu, quid furis, Eutropi?
Quid trux minaris femina, dedecus
Byzantii? quid luctuosum
Pontifici malesana volvis?*

*Pastoris auram murmure concute,
Quo perfumescent ora tyrannidis;
Superba, Sanctum pelle tandem
E Cathedra, studioque plebis.
Iustus stat heros!... orbe tenacior,
Qui nunc vacillat percitus impere:
Livre, fastu, iraque maior
"Sit Dominus benedictus," inquit.
Nae his mitiores Threicii hostibus
Mystam et Comani suscipient pium;
Absolvet extorris supremum
Exilium.... in Patriam redibit!
Chrysostomo sit laus, decus inclytum!
Impulsa amoris pectine barbytos
Cantet Ioannis gloriosum,
Quo redimitus ovat, triumphum.
Quos hic tenellos cernimus artulos,
Belli trophyis exuvias feri
Notas teget Romae, sub orbe
Maxima, quae statuetur, Aedes.
Summam gerentis vox ibi Cathedram
Utrisque solis finibus obsequens
Venite, gentes, dicet; unus
Vos societ, foveatque Pastor!*

TH. VIÑAS Sch. Piar. (1).

(1) Dixit in solemini conventu, Cancellariae Apostolicae in aula Romae
habitu, centenarie diei xv S. Doctoris celebranda Idib. Februario
M DCCC VIII.

VOX URBIS PALAESTRA

De colenda lingua latina

(Cfr. num. sup.)

Felix, Tiberius, Constantius, quos de latina lingua
disputantes induxi, aliquando post coenam, quum
essent locuti in hortorum trichila nescio quid latine,
ut erat officium, repente horae sonitum audient. Tum
Tiberius depromit verba haec:
— Tandem moles a cervicibus devolvitur.
FELIX. — Quid ita?
TIBERIUS. — Non audistis sonitum? Horologium nos
a lingua latina liberat, propriam nobis reddit.
CONSTANTIUS. — Tantopere tua interest, ne Germanicam
linguam dedicas?
TIB. — Hoc non timeo; sed difficilis est et ob eam
rem non amo.
CONST. — Videsne, Felix? difficilem esse opinatur
ad linguam latinam viam; hoc sibi dicit movere
nauseam.

FEL. — Modesta sane ratio. Hodie vero, Tiberi, duo
sumus nos, Constantius et ego. Tu ergo velis nolis
te dabis victum. Pateris, quo tibi facilior pateat
ad linguam latinam aditus minusque spinosus,
ipse ponere, de quo velis ut loquamur hanc quartam
horae partem. Tu, Constanti, ut iam soles
facere, illustrabis quae forsitan obscurius, vel molles
quae asperius dicentur, ut videat aliquando
hic, quam muliebriter linguae horreat genus elati-

ssimum.
CONST. — Ego vero, ut semper, venio ad respon-
dendum paratus. — Quid igitur tu, Tiberi, ponis?
Vel ut satisfaciam cupiditati tuae, Felix, — com-
pluribus vis modis expressam rem eandem — di-
cam: Fac exordium Tiberi! vel: Pone aliquid in
medio! vel: Pelle sermonis initium! vel: Dic de
quo velis disputari!

FEL. — Admiror tuam copiam, Constanti.
CONST. — A te non quaesivi. Retine admirationem
tuam. Quid tu, Tiberi, dicas?
TIB.: ... Ego, ut contendere durum est,
Cum victore sequor.
CONST. — Optime, inquam, et salse tu. Addas velim
ex eodem poeta quod non longe abest:
Dum sudor ad imos
Manaret talos.

Sed mittamus iocos! da aptam materiam!
TIB. — De inviso genere loquimini paullum, si pos-
sit!

CONST. — Postulasne de lingua latina?
FEL. — Mihi crede, Tiberi, valde mihi invisum est
tibi esse invisum istud genus. Possumus nos qui-
dem exigere tuas rationes; sed utemur clementia
et te compellemus ut fatearis, nisi forte nostra
patientia abuteris aut nobis illudes maiores te de-
bere concipere flamas ad huius linguae studium.

CONST. — Conabimur, certe, Tiberi, quod pollicetur
Felix efficere; sed videamus antequam ad rem
proprios accedamus, quid in nostris vocibus im-
mutari possit. Exciderunt priora. A proximis
repetam. Felix modo: utemur clementia. Potuit
dicere: Erimus comes, vel: agemus leniter, par-
cemus animo tuo, alia multa: non enim est inops
lingua latina, etsi a multis esse dicatur, quibus
nescio an insit vita inopia et quaedam in loquendo
paupertas. Itaque hominum profecto est vitium,
non linguae. Et te compellemus, Tiberi, ut fatearis
quod contendimus. Ita plane agemus: te adduce-
mus, hanc in te coniiciemus sententiam, hoc tibi
extorquebimus, cogemus te, ita te includemus,
multa alia, quae persecui omnia longum est, fa-
ciemus, ut tandem conveniat inter te et nos pluris
tua oportere interesse ad colloquendum latine.
Agnoscin copiam qua te obruiimus?

TIB. — Me tam putatis hebetem, ut negaverim co-
pias esse linguam latinam? Nemo negavit, sed
iniucundam dico esse his qui discere cogun-
tur.

FEL. — Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.
Nonne proinde, qui rem fugit tam pulchram, tam
utilem, tam necessariam prodit se fugere labore?
Et quid esse nobis potest turpius, quam fugere,
ad quod Deus fecit vires?

TIB. — Potesne monstrare necessariam esse linguam
nobis istam?

FEL. — Copiosam esse iam tibi expressimus; cur tibi
sit necessaria, videbimus. Dolendum sane, quod
tempus, quod erat reliquum, iam ruit.

CONST. — Properato propemodum opus est, Felix:
nam tintinnabulum iamiam hue nos avocat.

TIB. — Quid tu narras? Non intelligo quid « prope-
rato opus est », quid hoc sit.

CONST. — Quid sit properare, nosti.

TIB. — Aliquid quasi celeriter facere, credo.

CONST. — Et adiectivi si posueris casum ablativum
grammaticorum de regione sunt verba —
videbis nihil me dixisse, nisi esse opus festina-
tione vel properandum esse. Sed nunc, Felix,
exprime, quid horteris Tiberium.

FEL. — Vin tu fieri theologus, Tiberi?

TIB. — Sutorem me fieri nolle satin tibi constat?

FEL. — Sutori non esset necessaria lingua latina,
etsi perutilis et fortasse grata; theologo est. Fer-
rem tuam negligentiam si theologus fieri velles
tantummodo; sed quod brevi ad ordines progredi
in mente habes minores et tamen abhorres ab usu
loquendi quo tibi ipsi ordines conferuntur, ferre
non possum. Lege, quid exigat ab acolyto ecclesia!
Sane ut cum bonis moribus linguae Latinae af-
ferat notitiam.

TIB. — Hoc non esse videtur postulare, ut adhibeat
ad fratrum colloquia.

FEL. — Sed ut possit adhibere. Nisi vero fecerit collo-
quendi periculum, discedet nunquam. Habeo alias
rationes, non a media ecclesia repetitas, sed ex
innato nobis utilitatis studio deductas. Sed de
illis alias. Quid tu, Tiberi, ad haec dicas?

TIB. — Saltem in posterum abstinebo a male dictis
et non incipiam ex colloquio Latino provolare
ad linguam Germanicam, dum faciant comites.

CONST. — Velim ego mehercule, tibi constes et saepe
ad nos venias non modo pulsus praeceptis, sed
allectus suavitate et abductus. Quam longos du-
cemus sermones! Quam pure loquemur brevi! Non
infiror difficultem esse conanti, sed tibi hoc habe
persuasum, tanto fructum fore suaviorem, quanto
plus operae navaveris.

Sed horologium meum indicat horam nonam
medium. Nescio quid agat hebdomadarius. Certe



S. Antonii sacrarium in vehiculo ferrea via deducendo (Prospectus exterior).

Il lettore
nsultazione
questa scat
I volumi co
lasciati su
Tutti i vol
personale
volumi d
iustodi, i
i giorni
Qualora s
cante c
ressato
nerne b
i raccon
rando.
elle sa
trasg

iam sonitus factus est, quum pauxillo ante ad domesticum indicem meum adcommodaverim. Ascendamus, ne sero veniamus. Et tu, Tiberi, quod promittis, nitere praestare.

ANDREAS HABERL
alumn. coll. ad S. Gabrielem
Mödling apud Vindobonam in Austria.

Ex Americis

De novis rei sacrae propagandae conatis

Hominum animos quin immortales sint, non dubitandum esse docent et ii, qui esse Deum eumque mundi architectum aiunt, et isti, qui quamvis Deum esse negent, animos posse a corporum vinculis liberatos permanere existimant. Est quidem in homine nescio quae beate vivendi cupiditas eaque tanta, ut dummodo beatitudo sempiterna sit, nunquam restinguatur.

Quum igitur animi naturali quasi appetitu eotendant, ubi id quo nunc carent, aliquando consequantur, semper Christiani fuit et est id efficere, ut ceteri eodem, quo ipse, bono allecti vitam degant. Illis verbis: «Praedicate Evangelium omni creaturae», quum e divino ore profluxissent, tantus in multorum animis ardor accensus est, qui omnes difficultates, quae hominum saluti essent et beatitudini impedimento, superaret et consumeret. Quibus difficultatibus ubique terrarum superatis, quid in nostra foederata republica, quae ceteris Americanis civitatibus longe antecedit, ad propaganda sacra Catholica perficiatur, anquirere libet.

Religio quidem nostra, quum in dies plures eandem disciplinam sectantes in hos fines demigrassent, tem-

plis et delubris maxime ubi hominum celebritas erat, constructis iamiam florescebat, sed in iis quae remotae vel ad meridiem vel ad occasum vergebant, regionibus, quum nostri in urbe quam ruri vivere malling, propemodum in eo erat, ut tamquam flos flaccescens penitus evelleretur. Quae quum ita essent, Franciscus Kelley, qui sacerdos in oppidulo obscuro, Lapeer, Michigan vivebat, quantum iunctae vires ad restituendam impeditam disciplinam valerent satis cernens, temporis opportunitatem iam arripiendam esse ratus, quum in medium prodiisset et periculum, quod rei sacrae immineret, in lucem protulisset, excitata multorum animadversione viris cordatis facile persuasit, ut quum ea, quae singulorum humeri ferre recusarent, valerent humeri cunctorum, rei sacrae adiuvandae et propagandae societatem coirent. Quem tanta molientem Iacobus E. Quigley, qui antistes infulatus in frequentissima nostra urbe rei sacrae velut clavum tenet, in clientelam contulit, ipseque viris egregiis, qui eodem animo erant, domi suaue congregatis opportunisque latis legibus, societatem confirmavit.



Vehiculi-sacrarii inaugratio, Chicagine.

Quarum legum triplex est voluntas, ut iis locis quae comaeatu hand plane patefacta rerum sacram inopia premuntur, fana vel sacraria aedificantur; deinde ut iis, qui iisdem locis quasi sotores religionem inserunt, pecunia eaque quae ad vitam pertinent, suppeditentur, denique ut eorum qui nostra sacra colentes in hos fines demigraverint assidua cura habeatur. Societatem autem initam, quam magistratus ratam duxit, cives sua ipsorum lingua *Catholic Church Extension Society*, (id est «ad sacra catholica diffundenda collegium») appellant. Sociorum qui res administrarent, quinquaginta delecti sunt, inter quos eminent antistites Chicaginensis, Milwauchiensis, Bostoniensis, Sanctae Fidei; pontifices Lovingtoniensi, Detroitensi, Wichitanus, Duluchensis, Trentonensis, Mobiliensis, Tamassanus; alii deinde sacerdotes spectatae virtutis, viri denique nobiles divitiis et auctoritate praestantes, quorum duo prae ceteris mentione digni sunt, M. Maloney et Ambrosius Petry, hic inter Sancti Gregorii equites, ille inter summi pontificis cubicularios relatus.

Qua virium coniunctione tamquam primus fructus conditus est commentarius quidam de religionis propagatione, cui titulus *Extension*. Hunc commentarium, qui semel in mense prodit, quum ornate concinnatus ceteris aequalibus commentariis rerum ordine et venustate vel aequet vel praestet, — vix creditur — quinquaginta millia hominum avide perlegunt suapte stipe sustinent. Itaque quum multi eodem rei sacrae propagandae studio ardeant, centum sacraria, mirum est quam brevi in variis pagis aedificata; multum pecuniae — 725.000 libr. — quam facile ad hoc opus corrogatum; decies centena millia librorum religiosorum quam late dispersi sint.

Subest Americanis acre ingenium, facile perspiciens quae ad vitae commoda pertinent; nova creandi avidum. Quid tanta indole dignum hac ex societate natum est? Aedes quaedam, neque rupi neque saxeo confirmavit.



Vehiculi-sacrarii prospectus interior.

Franciscus C. Kelley dr.
collegii ad sacra catholica diffundenda auctor.

fundamento, sed — quis credat? — rotis imposita; vehiculum, dico, quod via ferrea decurrat, in interiore parte ita instructum et ornatum ut tamquam sacrarium esset. Quo in vehiculo collocatum est musicum instrumentum, organum, quod dicitur, ut canentibus usui sit; ad hoc sedilia, ubi qui convenerint, poplite flexo preces adhibeant; ita machina inter se coniunctas, quae in itinere, ut amplius pateat spatii, facile ad parietem dimoveantur; in altera extrema parte altare, aeneis ornamentis distinctum et parieti affixum; cui altari adiuncta est area, qua vestimenta sacra et utensilia continantur; mensa sacra deinde ea arte conflata, ut facile in sedem mutata, possit ad audienda poenitentium peccata adhiberi; omnia denique quibus ad sacra facienda opus est, suo quaque loco disposita.

Inest praeterea bibliotheca libris abundans, qui de religionis munere conscripti, quum vehiculum aliquo adductum est, loca incolentibus distribuantur. Quorum librorum multi a scriptoribus quibusdam catholicis, qui hac in urbe collegium inierunt, dono accepuntur. Pone altare autem duo conclavia, quae sacerdotibus inserviant, iis machinis instructa, ut quum diu quasi atriola sint, noctu, sellis in lectulos mutantis, cubilia fiant. Neque deest culina, quae corporis necessitati prosit, neque coquus, qui famuli quoque partes agit. Hoc itaque vehiculum, quod via ferrea

eo, ubi fana aut nulla aut rara, deducitur, quam religionis sit efficiens, ex eo patet, quod quum in octo pagis aliquantum temporis constiterit, comite Ioanne Hennesey pontifice Witchano, sacraria aedificari coepit sunt locis quinque. Ambrosius Petry, cuius beneficentissimi viri supra mentionem feci, quum hoc sacrum vehiculum suo impendio — 50.000 libr. — construendum curaverit, alterum si res ita prospere cedere perget, aedicare in mente habet.

Tantis viribus adolescit modo nata societas, digna, quam Summus Pontifex Pius X sacramentis et beneficiis cumulaverit. Quo rerum eventu elati socii patronos, in sua quemque provincia, sibi adoptaverunt, in provincialibus occidentalibus antistites Chicaginensem et Milwauchiensem, in orientalibus antistitem Bostonensem, in australibus eum, qui « Sanctam Fidem » incolit. Is qui societati praest, Franciscus C. Kelley, quum ex oppidulo illo ubi vixerat, discesserit, sede in huius urbis visceribus collocata, quo omnes facilem aditum habeant, sociorum res per manuenses et librarios recentiore negotiantium ritu administrat. Pontifices varii, tanto rei sacrae diffundendae studio commoti, aliquot sacerdotes ad opem ferendum nominaverunt.

Antistes urbis S. Francisci societati amicissimus cum ex eo, quid de hoc re sentiret, quae sit, est: « Omnia operum, — inquit —, quae in Americis adhuc suscepta sunt, hoc censeo esse maximum quod innumerabilibus hominibus, qui vel in meridianis vel occiduis finibus vivunt, auxilio sit et saluti »; item V. H. O' Connell, antistes Bostoniensis, sententiam interrogatus: « Hac societate vinculum procul — respondit —, quo omnes catholici in disiunctis regionibus viventes coniunctissime inter se devincirentur ». Quid ultra? Eorum qui opibus et auctoritate excellunt, plures in dies, multum pecuniae largiti inter socios referuntur. Iacobus E. Quigley itaque unus omnium maxime quum societatem nascentem consilio et auctoritate aluerit, quin de re catholica bene meritus sit non est dubitandum. Americanos denique hac societate quasi communione inter se devinctos, ubi — suum quisque locum excedens — ceteris subvenire docti fuerint, ad totius sacri



Eximus v. Iacobus E. Quigley, archiepiscopus Chicaginensis,
collegii ad sacra catholica diffundenda patronus.

imperii propagationem multum studii, multum opera, multum facultatum collatuos esse iure speramus.

Chicagine, pridie Kal. Febr. MCMVIII.

HILARIUS DOSWALD O. C. C.

*Nomen amicitiae sic, quatenus expedit, haeret;
Calculus in tabula mobile dicit opus.
Cum fortuna manet, vultum servatis, amici:
Cum cecidit, turpi vertitis ore fuga.*

PETRON., Satyr.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicaes de modernistarum doctrinis.

(Cfr. num. sup.).

Modernistae et cultus sacrorum.

De cultu sacrorum haud foret multis dicendum, nisi eo quoque nomine Sacraenta venirent; de quibus maximi modernistarum errores. Cultum ex duplice impulsione seu necessitate oriri perhibent; omnia etenim, ut vidimus, in eorum systemate impulsionebus intimis seu necessitatibus gigni asseruntur. Altera est ad sensibile quiddam religioni tribendum, altera ad eam proferendam, quod fieri utique nequam possit sine forma quadam sensibili et consecrantibus actibus; quae Sacraenta dicimus. Sacraenta autem modernistis nuda sunt symbola seu signa: quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorundam; quae vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas, robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic Sacraenta ad sensum religiosum ordinata sunt: nihil praeterea. Clarius profecto dicent, si Sacraenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent. Hoc tamen Tridentina Synodus damnavit (1): *Si quis dixerit haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

De librorum sacrorum natura et origine apud modernistas.

De librorum etiam sacrorum natura et origine aliiquid iam delibavimus. Eos, ad modernistarum scita, definire probe quis possit syllogen experientiarum, non enique passim advenientium, sed extraordinariorum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae. — Sic prorsus modernistae docent de libris nostris tum veteris tum novi testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant: quamvis experientia sit praesentis temporis, posse tamen illam de praeteritis aequae ac de futuris materiam sumere, prout videlicet qui credit vel exacta rursus per recordationem in modum *praesentium vivit*, vel futura per preeoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptic in libris sacris censeri queant. — Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem; sed, ut fert theologia modernistarum, per *immanentiam* solummodo et *permanentiam vitalitatem*. — Quaeremos quid tum de inspiratione? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scripto appetiendam adigitur. Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum. — De qua praeterea inspiratione modernistae addunt, nihil omnino esse in sacris libris quod illa careat. Quod quum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, quum *tacitas* sic dictas *citationes* inveniunt. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi praecepsis iudicamus, humanum scilicet opus, ab hominibus pro hominibus exaratum, licet ius theologi detur ea per *immanentiam* divina praedicandi; qui demum inspiratio coartari possit? Generalem utique

modernistae sacrorum librorum inspirationem asseverant: catholicismo tamen sensu nullam admittunt.

Quaenam modernistarum schola de Ecclesia imaginatur.

Largiore dicendi segetem offerunt, quae modernistarum schola de Ecclesia imaginatur. — Ponunt initio eam ex duplice necessitate oriri, una in credente quovis, in eo praesertim qui primigeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet: altera, postquam fides communis inter plures evaserit, in *collectivitate*, ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum, propagandum. Quid igitur Ecclesia? partus est *conscientiae collectivae* seu *conscientiarum singularium*; quae vi *permanentiae vitalis*, a primo aliquo credente pendeat, videlicet, pro catholicis, a Christo. — Porro societas quaeque moderatricem auctoritate indiget, cuius sit officium consociatos omnes in communem finem dirigere, et compagis elementa tueri prudenter, quae, in religioso coetu, doctrina et cultu absolvuntur. Hinc in Ecclesia catholica auctoritas tergemina; *disciplinaris, dogmatica, cultualis*. — Iam auctoritatis huius natura ex origine colligenda est; ex natura vero iuris atque officia repetenda. Praeteritis aetatis vulgaris fuit error quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit, nimurum immediate a Deo; quare *autoeratica* merito habebatur. Sed haec nunc temporis obsolevere. Quo modo Ecclesia et conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur, atque ideo eidem subest; quam subiectio si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, quum libertatis sensus in fastigium summum excrevit. In civili statu conscientia publica populari regimen invexit. Sed conscientia in homine, aequa atque vita, una est. Nisi ergo in hominum conscientiis intestinum velit excitare bellum ac fovere, auctoritati Ecclesiae officium inest democraticis utendi formis; eo vel magis quod, ni faxit, exitium imminet. Nam amens profecto fuerit, qui in sensu libertatis, qualis nunc viget, regressum posse fieri aliquando autem. Constrictus vi atque inclusus, fortior se profundet, Ecclesia pariter ac religione deleta. — Haec omnia modernistae ratiocinantur; qui propterea toti sunt in indagandis viis ad auctoritatem Ecclesiae cum creditum libertate componendam.

Sed enim non intra domesticos tantum paries habet Ecclesia, quibuscum amice cohaerere illam oporteat; habet et extra. Non una namque ipsa occupat mundum; occupant aequae consociationes aliae, quibuscum commercium et usus necessario intercedat. Quae iuris igitur, quae sint Ecclesiae officia cum civilibus consociationibus determinandum est etiam, nec aliter determinandum nisi ex ipsius Ecclesiae natura, qualem nimurum modernistae nobis descripserent. — In hoc autem eisdem plane regulis utuntur, quae supra proportionem, atque fide sunt allatae. Ibi de *objectionis* sermo erat, heic de *finibus*. Sicut igitur *ratione obiecti* fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus: sic Status et Ecclesia alter ab altera extraneas sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, haec spirituale. Licuit profecto alias temporale spirituali subiici: licuit de *mixtis* quæstionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe Ecclesia a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuantur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a civi. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, ius atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, eius optatis, consilii praecepsisque posthabitatis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi quae civitatis utilitati conducere arbitratur. Viam

(1) Ses. VII, de *Sacramentis in genere*, can. 5.

ad agendum civi praescribere praetextu quolibet, abusus ecclesiasticae potestatis est, toto nisu reiciendus. — Ea nimurum, Venerabiles Fratres, unde haec omnia diminant, eadem profecto sunt, qua Pius VI decessor Noster, in Constitutione apostolica *Auctorem fidei*, solemniter damnavit (1).

DIARIUM VATICANUM

(Die xxii mens. Ianuarii - d. xx mens. Febr. MDCCLVIII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sua quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, pecuniarie nota digni sunt iuxta admissionis diem: Gabriel Nabaa, Praepositus Basiliano Ordini S. Salvatoris in Syria cum consiliarii suis; Lodovicus Pastor doctor, historici Austrorum instituti in Urbe rector; Marius de Carpega, Comes; Carolus Magalhaes de Azeredo, a secretis Brasilienis legationis apud Apostolicam Sedem; Franciscus Burgesius, Princeps Urbanus; Franciscus Serlupi, Marchio; Richardus Pecci, Comes; Thomas Kennedy, rector Urbani Collegii Foederatarum Civitatum Septentrionalis Americae eiusque alumni; Vincentius Bugarini, Seminarii Romani rector cum novorum alumnorum manu; Basilius Pompili, a secretis S. Congregationis Concilii Tridentini decretis interpretandis recens electus; Alexander De Sancti ex Ordine SS. Trinitatis pro redemptione captivorum, Praefectus Apostolicus in Africana regione Benadir; Consilium Pontificiae Urbanae Academiae Novorum Lyncaeorum; Franciscus de Paula Rodriguez Alves, iam Brasiliensis civitatis praeses, eius filiae, et Bruno Chaves, Legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Brasiliæ apud Apostolicam Sedem; Cyrilus Geha, Patriarcha Antiochenus Graecorum Melchitarum; Taurinenses sacerdotes qui Romam peregre venerunt ab archiepiscopo suo coram adducti; Consilium virorum centenariorum sollemnibus S. Ioannis Chrysostomi praepositum; Carolus Furstenberg, Princeps; M. Bernard ex Ordine Minorum S. Francisci Capulatorum, legatus extraordinarius Pontificis ad regem Aethiopum a missione sua redux et afferens illius litteras et dona, inter quae leones duos; Franciscus Boncompagni Ludovisi, Princeps Urbanus eiusque sponsa Nicolaa e marchionibus Prinetti; manus puerorum ex tabacorum Veneta officina peregre Romam advenientium.

Pontificiae electiones.

Basilius Pompili, S. Romanae Rotae auditor et Summi Magistri criminibus expiandis adiutor a rescriptis, a secretis dicitur S. Congregationis Concilii Tridentini decretis interpretandis; eius in locum sufficit Orestes Giorgi, alter a secretis S. Congregationis Episcoporum et Regularium; qui, sua vice, a rev. v. Adulfo Giobbo doctore substituitur.

— Petrus Amboise e dioecesi Baionae, et Eugenius Mosser, Procurator generalis Congregationis a Resurrectione D. N. I. C. inter iudices S. Congregationis Indulgentiarum et Sacre Reliquiarum adleguntur.

(1) Prop. 2. *Propositio*, quae statuit, potestatem a Deo datum Ecclesiae ut communicaretur Pastori, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regimini potestas: haeretica. — Prop. 8. *Insuper*, quae statuit Romanum Pontificem esse caput ministeriale; sic explicata ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia: haeretica.

Vita functi viri clariores.

Die xxviii mens. Ianuarii Lutetiae Parisiorum placide quiescit **Franciscus Maria Benjaminus Richard**, archiepiscopus Parisien. Nannete natus d. ix mens. Martii MDCCXIX, episcopus Bellicen, electus d. xxii mens. Decembri MDCCCXXI, archiepiscopus Larissen, promotus et coadiutor archidioecesis Parisien, deputatus est an. MDCCCLXXV. Die viii mens. Iulii MDCCCLXXXVI, Guibert archiepiscopo Parisien, vita functo successit. In Sacrum Senatum cooptatus d. xxiv mens. Maii MDCCCLXXXIX singularem scientiae ac pietatis famam adeptus est.

Varia.

Die xii mens. Februarii in Vaticana Beatificationum aula, sollemni Graecorum ritu, post saecula plura adstante Pontifice, res divina in honorem S. Ioannis Chrysostomi celebratur.

ANNALES

Olyssiponense crimen.

Inter omnes constabat haud satis Lusitanum populum in quiete vivere et Ioannis Franco dictaturam invidia et odia movisse, eorum praesertim qui eventus regni rebus studeant; nemo tamen putabat Lusitaniae urbem caput locum esse posse, ubi taeterimum inter crimina quae historia narraret, infississimi homines patrarent. Regis et innocentis filii, imperii haeredis, caedes irane processit in eum qui, ruidus certe, quamquam bona fide, instaurandas publicas res suscepit, an anarchistarum turpi machinationi tribuenda est? Futuri dies huic interrogationi fortasse respondeant; factio enim popularis (*republicana vulgo audit*) horrendae caedis ut culpam a se averteret contendit: at vero excludi nequit, etiam si vera coniuratio abfuerit, facinus a popularibus instructum perfectumque nefarie fuisse.

Indicium quidem humanitatis perterfactum animalium refovens id apparuit, circa adulescentem novum regem Emmanuel II eiusque magnaniam matrem gentem omnem Lusitanam in luctu misceri. Ceterum Ioannis Franco a munere recessio et collegium administratorum regali stirpi ex fidelibus undique collectis constans, quibus Ferreira do Amaral trierarchus praeest; imo novi gubernii actio ad libertatem propensa sperare sinunt fidem et pacem brevi iri in regione illa restitutum. Quod latinae genti latino fraterno animo maxime ominamur.

Mauritana res.

Mauritana res postremo tempore non satis prospera Gallis cessit, qui in certamine ad Settat primum, deinde ob magnam nivis tempestatem plures milites amiserunt. Pariter non longe ab oppido El Mekki id

accidit ex Chaoniae tribus, post declaratam licet submissionem, incursione. D'Amade dux viriliter obstitit; ob eamque causam fortasse Muley ille Afid ad eum legatos misit pacem petituros, quos tamen ille respuit, merito dicens se minime cum rege convenire posse, quem Gallia ignoraret.



Balcanicae nubes.

Nuncius novarum viarum, quas, ferreis axibus stratas, Austria proxime erit ductura ut Bosniacas provincias a se occupatas cum Macedonia coniungat, acres animadversiones apud plura diaria suscitavit, ea ratione productas, ut coniici vel etiam posset eas singulorum guberniorum mentem revelare. Sed tum Austria ipsa, tum Germania, aperte declararunt huiusmodi viarum ductionem nihil impedituram, quominus Macedonicae reformationes sive retardentur, sive, idque potiori iure, a constitutis pactionibus aberrent. Itaque sperandum est fore ut singulæ nationes sibi persuasum habeant Austriam iure utentem, sibi a Berolinensi foedere tributo, nullum documentum aliis nationibus allaturam et timorem malo alite excitatum, veluti nebulam ad solem, iri dispersum.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In **Anglia** coetus sessiones resumptae regali oratione amicitiam cum Germania recens confirmatam testante. Deinde de foedere cum Russia late est disceptatum, et rogatio legis lata de pueris derelictis tuendis.

In **Bulgaria** Gudew eiusque collegis a munere recedentibus, novi administri suffecti, praeside Malinow, qui legatorum coetum proxime dimittet, novaque comitia indicet.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** aliae Praesidis litterae ad coetum missae sociales leges vehementer suadent in privata monopolia, vulgo *trusts* appellata.

In **Gallia** Mauritanæ res in disceptionem adducta, eamque Pichon, rerum ad exteriores administer, tam sobrie, aperte prudenterque exposuit, ut quum ad suffragia ventum sit, ea favorabilia late retulerit. Quæstio deinde de vectigali redditibus imponendo agitata.

In **Germania** de augenda classi sanctum, et rogatio legis oblata de laboris officiis instituendis.

In **Italia** de religiosa institutione a scholis non amovenda acriter disseritur.

In **Russia** consilia a gubernio proposita de imperii tutela probantur.

In **Serbia** rationes accepti et expensi cognitae.

PER ORBEM

Die xxii mens. Ianuarii MCMVIII ad Mediolanum, noctu, currum series vapore actorum, quum in via ob nebulam constitisset, ab altero recto itinere Romanum petente invaditur, quassatur atque a ferreis axibus passim eiicitur. Dum autem miseri viatores effugium querunt, ecce vaporitraha alia ex adverso occurrit caudem et ruinam late adaugens.

Hamburgi magno favore Sigfridi Wagnerii musicum novum opus excipitur, cui titulus *Sternengetot*, quod est latine « *Siderum munus* ».

— d. xxiv Massae Rosae, Italiae in oppido, vita in paupertate fungitur Aloisia de la Ramée, Anglicæ litterarum cultrix, *Oujda* sub cognomine apud omnes cognita satis.

— d. xxix Neapolitani portus baiuli, qui ex condito ab opere aliquot dies abstinuerunt, tumultus excitant.

Die i mens. Februarii Olyssipone, dum regalis familia, e castro Villa Viciosa redux, in foro cui a Commercio nomen rheda ducta transit, plumbeis glandibus a grassatoribus quibusdam hic illic abditis nefarie petitur. Carolus rex eiusque filius Aloisius Philippus icibus conficiuntur; divinae virtutis ope servantur incolumes Maria Amelia regina, eiusque filius alter natu minor Emmanuel, Beiae dux, qui ideo patri in regno succedit, duodeviginti annos natus.

— d. vi Altemburgi moritur Hernestus e Saxonia-Altemburgensi gente dux.

— d. viii Olyssipone regalibus viris trucidatis iusta funebria solvuntur.

— d. ix per Italiam omnem dominica a laboribus requies a lege sancta primum efficitur.

— d. x De la Vaulx comes et Joliot machinarius, aerostatorum dirigibilium exstructor, Britannicum fretum in aerostato *Valkirie* primum traiciunt.

— d. xi Cairo in urbe supremum obit diem Mu-stafa Ahmed Pacha, civilis Aegyptiae factionis princeps et vindex.

— d. xii Neoerboracensi ab urbe sex viri proficiscuntur Lutetiam Parisiorum automobilibus curribus petentes.

— d. xiii per Germaniam omnem Richardi Wagnerii memoria sollemniter commemoratur, xxv exeunte anno ab eius obitu.

— d. xv in Americana nordica regione Texas ventorum immanis procella Nese et Mussville urbes destruit.

LIBRORUM RECENSIO

Vindiciae religionis.

His nostris temporibus, in quibus eheu! effrena sentiendo libertas veritatis omnes cum revelata tum naturalis religionis ipsamque Dei existentiam negare conatur aut saltem in dubium revocare, unde etiam (quod bonis solatio est) strenui consurgunt vindices seu apologistae, qui impugnatam veritatem naviter docteque defendunt, erexit ex adversario-rum manu telis dolosis, quibus abuti volabant.

Inter huius modi vindices, de causa veritatis optime meritos, adnumerandus est sacerdos J. L. DE LA PAQUERIE, qui novissime volumen editum bipartitum, cui titulus: *Éléments d'Apologétique* (1). Is in priori parte, quae ad homines rudioris ingenii ac doctrinae pertinet, facili, populari et vivaci stilo, qui vel indoctos feriat, tria demonstrat, I^o: Esse Deum, videlicet rerum omnium, quas sensibus percipimus aut mente intelligimus, Causam primariam et unicam, aeternam, omnipotentem, omnisciam, immensam, liberrimam, optimam ac bonitatis omnis originem; ac proinde falsissimum esse atheismum, polytheismum ac pantheismum. — II^o: Deum hunc, a quo accepimus quidquid habemus ac sumus, colendum esse nobis cultu non solum interno ac privato, sed externo quoque et publico, neque ad arbitrium nostrum conficto, verum divinae voluntati consentaneo. — III^o: Cultum hunc, Deo acceptum, in sola religione catholica exerceri. — Atque hic auctor varia religionis systemata percurrens, ab eorum sectatoribus querit quidnam ipsis magis arrideat. Singuli, uti primum est, propriae cuiusque religioni primum assignant gradum; secundum vero, ex unanimi consensu, religioni catholicae: ex quo perspicue patet, hanc esse, omnium sentientia, optimam, quam ceterae suorum tantum assecularum suffragia nanciscantur. Ita olim a Graecis post victoriam apud Salaminam iudicatum est. Quum enim duces victoris exercitus inter se quaererent, quisnam eorum ceteris omnibus in hac pugna eminuisse ac praemium esset promeritus, datus suffragiis compertum est, singulos duces sibi ipsis primas tribuisse partes; secundas vero, unanimi voto, Themistocli: qui proinde omnium princeps praemioque dignus renuntiatus fuit.

Altera longiorque libri pars tamquam *supplementum* ad prius dicta subiicit, in eaque doctiori quadam ratione, qua et eruditis flat satis, quaestiones aliquot hoc pertinentes, aut difficultates ab incredulis motae accuratius ad trutinam revocantur: v. g. de Infinito, de Absoluto, de Evolutione, de Tempore, de Spatio, de concordia inter religionem et veram scientiam, etc. Haec omnia sapienter et pro rerum natura, quae saepe difficultis et subtilis est, perspicue lector tractata reperiet; nec legentem poenitebit librum, eruditonis plenum, sua bibliothecae inseruisse. F. X. R.

(1) Paris, BLOD ET Soc., 1908, vol. in 12^o pag. x-574.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in *Voce Urbis* eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

CARD. A. CAPECELATRO — *L'Istruzione catechistica nella scuola*. Lettera ai laici italiani. — Romae edid. Desclée et Soc., 1908. (Ven. lib. 0,25).

- DR. GIUSEPPE BARONE. *I Klefti ed i canti kleftici nella letteratura greca moderna*. — Sarni edid. off. Fratrum Fischetti, 1907. (Ven. lib. 1,25).
 L. E. HALLBERG. *Santa Matilde*. Traduzione Italiana dalla terza edizione Francese. — Romae edid. Desclée et Soc., 1907. (Ven. lib. 2).
 G. LEDOS. *Santa Geltrude*. Dalla quarta edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 2).
 COCHIN H. *Il beato Fra Giovanni Angelico*. — Indidem. (Ven. lib. 2).
 FLORNOY E. *Il Beato Bernardino da Feltre*. — Indidem. (Ven. lib. 2).
 AVV. P. DRILLON. *Il compito sociale della Carità*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).
 G. SORTAIS. *Il processo di Galileo*. Studio storico e dottrinale. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).
 BAVILLE L. *Che cosa è la scienza?* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).
 J. A. CHOLLET. *La Morale è una scienza?* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).
 BOUCAND C. *L'idea di diritto e la sua evoluzione storica*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

Martis hic et Veneris suboles formosa marinae,
ridens ignita pectora glande ferit.
Mutant signa vicem? Magnis cumulata triumphis
eminet et caeli vertice summa petit.

II.

Pallida lacrimulis lentae rigat ora senectae
et roseas pueris percutit ille genas.
D perit? Ah! miser, indigno perculsus amore
Leda olim visus delituisse sinu.

I. B. PESENTI.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intramenses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

I SONETTI PASTORALI DI LUIGI CLASIO
tradotti in distici latini da GIOVANNI BATTANI.

Aenigmata an. X, n. XII proposita his respondent:

1) Stips - Stirps; 2) Mus - ca.

Ea rite soluta miserunt:

Amadeus Robert, *Roma*. — Henricus Tarallo; *Vinc. Starace, Neapolis*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — F. Guerra, *Aletto*. — Frano. Bonaventura, *Aterno*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Iac. Campins, *Victoria*. — Rich. Lefebre, *Parisita*. — Lod. Dubois, *Massilia*. — Petrus Tergestinus. — I. Walter, *Nea Eboraco*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Theod. Matos, *Beleno de Para*. — Aug. Regoa, *Beja*. — Rich. Brondel, *Brugis*.

Sortitus est praemium:

RICHARDUS MÜLLER,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis*, Phil. Cuggiani.

TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (4)

(Versibus senariis conscripta).

IANUS.

Quod est periculi, mea sententia.
Ipsi tollunt caput, vertunt imperium
Sub speciem semper venerandi Deum,
Quid in te dicunt, suscitant furciferi,
Et omne perdunt, sanctum quod patraveras.
Senex est — dicunt —; vacillat baculus!
Fuit dux — aiunt —; senectute ducitur!
Si tu radicitus gentem ne perdideris,
Te, Caesar, purpura, te regno spolian!
Sume iterum sceptrum, quod illi sentiant
Nimis qui confisi tua clementia
Irrita tentant. Macte, Romanorum decus!

DIOCLETIANUS.

Tuus sed videtur sermo difficilis.
Qui sunt hi perfidi, quod ipse perduim,
Et tot molintur tantaque, me consule?

IANUS.

Non intelligis?

DIOCLETIANUS.

Neutquam.

IANUS.

Dicam perfidos?

DIOCLETIANUS.

Volo!

IANUS.

Sunt ipsi Christi stulti discipuli.
Magis quid impii, magis teterrimi?
Hi sunt ex orbe depellendi funditus.
Modo lacesisti blandus tu belluam,
Quae crescents denuo sustulit cornua.
Hos perde, macta, tolle, de nobis destrue....
Aeternam dabo statuam cum litteris:
Diocletiano, Christianis erutis!

DIOCLETIANUS.

Verbis me pascis dolosis, tu, perfide:
Sunt et Christiani fideles subditi!

IANUS.

Mendaces potius, pleni fallaciis,
Imperio semper perniciosissimi.
Nihil vereri sed ista nunc indico.
At ipsa religio deorum spernitur,
Humi labuntur templi, numinum statuas....
Romae decus semper nobis evanuit!

DIOCLETIANUS.

Quid istac profers inconsulta tristia?
Regnare nescis Diocletianum adhuc?

Antiquo totus revivisco spiritu!
Hos omnes improbos morte, pol, plectito,
Mors una perdat Romae vituperium,
Et omnis Urbs sonet morientium vocibus!

IANUS.

Mihi res ista: complebo consilium!
(Superba caeditur Fulvia pae ceteris,
Eiusque immensum mihi patrimonium!) (1)

SCENA IV.

CROMATIUS, DIOCLETIANUS.

(Interim transeunt cires in extrema parte theatri).

CROMATIUS (2).

Meis credam oculis? Videre videor
Caesarem stantem mediis in gentibus,
Quin ipsum verbis compellabo? Me deus
Iuvet! Res urget: valet quid dilatio?
Caesar? (3)

DIOCLETIANUS.

Sum equidem!

CROMATIUS.

Te quaerebam tamdiu!

Velim tibi loqui confidentissime.

DIOCLETIANUS.

Mihi nulla prorsus persona muneris:
Ecceum Diocletianus exutus purpura.

CROMATIUS.

Sed usque nostri columen imperii
Quisnam te vincit potentia corporis,
Quis pectoris gratia, munificentia?
Te semper nomine Patrem pae ceteris;
Sed....

DIOCLETIANUS.

Quid?

CROMATIUS.

Sed signasti nuper sententiam,
Erit quae damnosa memoriae tuae.

DIOCLETIANUS.

Ne me diu velim teneas ancipitem:
Istis me tricis explica celerius.

(1) Exit.

(2) Sub finem anteactae scenae erat ingressus. Est senex
vegeta adhuc aetate; loquitur cum maiestate atque animi
suavitate.

(3) Suspiciose et verba trahens.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italianam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem
ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam
m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCXLVI peractam, *ad libitum*
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Aprilibus MDCCCCVIII Num. IV.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80
ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

apud
Gebethner et Wolf

IN ANGLIA

apud
"Kronika Rodzinna," Burns and Oates

IN CANADA

apud
Librairie Granger Frères

Varsaviae Polonorum
Rakowskie Przedmieście, 15.

Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmieście, 6.

London W.
28, Orchard Street.

Montreal
1600, Rue Notre-Dame.